



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 32. Franciscus I. Ludovici successor

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI. ferme pecuniarum summas absorberent:  
A. C. 1515. Hinc merito pietatis ac clementiæ suæ  
 suffragio *Pater populi* appellabatur. Sepultus est in Ecclesia ad S. Dionysium, cor autem ejus apud Religiosos Coelestinos Parisiis in Sacello Aurelianensi repositum fuit.

## §. XXXII.

*Franciscus I. Ludovici Successor.*

*Daniel. hist.  
 de France t.  
 3. in fol.*

Cum Ludovicus nullam prolem masculam reliquisset, sed duas duntaxat Filias, quarum natu majorem Franciscus, alias Dux Engolismensis dictus duxerat, idem etiam in Regnum successit, assumpto Francisci I. nomine. Proavum habebat Ludovicum Franciæ Regis Filium, primum Aureliæ Ducem, Avum vero Regem nuper defunctum; Idem enim Ludovicus Dux! duos susceperat Filios, Carolum, Aureliæ Ducem & Patris sui successorem, ac Joannem, qui Engolismensis Comes nuncupabatur. Porro Ludovicum XII. Galliarum Regem procreaverat Carolus, Joannes vero alterius Caroli Pater erat, qui Franciscum I. progeniit. Is natus erat Connaci in Engolismensi Provincia die duodecima Septembris Anno Christi millesimo quadringentesimo quarto, ac mortuo Carolo Patre suo Engolismensis Comes, postea vero Valesii Dux  
 cogno-

cognominabatur, eo quod Ludovicus XII. Sæcul. XVI. A.C. 1515.  
 fiduciarum illius possessionem hoc Ducatu auxisset. Hac ex causa Principes ex Francisci genere progeniti, Valesii cognominabantur, quamvis is reapse ex Aurelianensibus genus duxisset. De Thou hist. lib. 1.  
 Fuit Franciscus de more Rhemis unctus hoc anno die vigesima quinta Januarii a Roberto Lenoncurtio ejusdem urbis Archiepiscopo, atque unacum Franciæ Regis appellatione simul Mediolanensis Dux, jure uxoris suæ Claudiæ de Francia, Ludovici XII. Filiæ nuncupari voluit. Hæc enim Tridentinæ investituræ titulo in hujus Feudi possessionem tum vocabatur, si Pater ejus absque prole mascula decederet; sat tamen verosimile est, quod Claudia Marito suo jus istud post Patris obitum dono dederit. Arrogato igitur Mediolanensis Ducis nomine, Franciscus haud obscure indicabat, se Prædecessoris sui vestigia pressurum, nec diu nudo Mediolanensis Ducis nomine contentum fore; sua tamen consilia, rebus nondum domi compositis, palam facere, inconsultum arbitrabatur.

## §. XXXIII.

*Francisci I. regiminis auspicia.*

Igitur Rex juvenis Rhemis profectus, ad Ferron Annual. Franc. Bellcar. l. 15.  
 ædem S. Dionysii contendit, ut ibidem  
 D 3 ob